



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

63. Universis, & singulis &c. Monitorium quo Censuræ à Domino Cardin.
Archiepiscopo Januen. jussu Summi Pontificis promulgatæ contra P.
Thomam Granellum Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)

Sanctæ Mariæ Novæ testibus antefcriptis ad præfata omnia habitu specialiter, atque rogatis. Ego Antonius Odoardus Valenti Notarius publicus, & Curie Criminalis Episcopalis Ferrarien. Cancellarius de prædictis rogatus fui. In quorum fidem hic me subscripsi, & solito mei Tabellionatus signo requisitus signavi die, mense, & anno suprascriptis &c.

Thaddæus, Miseratione Divina Tituli S. Alexii, S. R. E. Presbyter Card. à Verme Episcopus Ferrariensis &c. Universis &c. fidem facimus, & attestamus supradictum Dominum Antonium Odoardum Valenti esse Notarium publicum hujus Civitatis, Curiaque nostræ Notarium, & Cancellarium ad Criminalia, ejusque similibus hic, & ubique locorum in judicio, & extra fidem adhiberi plenam. In quorum &c. Dat. Ferrariæ ex Palatio Episcopali die 13. Augusti 1715.

Carolus Quercius Notarius, & Canc. Episcopalis.

Deventum postea non fuit ad Sententiam declaratoriam incursum censurarum, aliarumque penarum in antedicto Monitorio contentarum, & comminatarum, quia Carolus Joseph Juniperi Praepositus Curatus Odalergi poenitentia ductus veniam humiliter postulavit ab Episcopo Casalensi, ejusque Decretis, atque mandatis se debitam obedientiam præstaturum spondidit. Quibus ab eodem Episcopo Sacra Congregationi Immunitatis Ecclesiasticae significatis, eadem Sac. Congregatio, Serenissimo annuente, die 21. Decembris 1716. ipsimet Episcopo facultatem concessit absolventi etiam in forma privata memorarum Praepositum a censuris, in quas ob præmissa inciderat: facta tamen prius per eum obligatione resistenti omnia damna, quæ Vice-Curatus Ecclesiæ S. Grati, & Incole Ville Valdistrura passi fuerant, nec non abstinenti à similibus in futurum.

MONITORIUM

Quo Censuræ à Domino Cardin. Archiepiscopo Januen. jussu Summi Pontificis promulgata contra P. Thomam Granellum Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum ob non partitionem Pontificio præcepto confirmantur, & aggravantur, ac omnibus Christi-fidelibus sub gravibus pœnis mandatur, ut à qualibet cum ipso conversatione, atque commercio abstineant.

Nicolaus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Spinula Curia Causarum Camera Apostolica Generalis Pro-Auditor, Romanæque Curie Judex Ordinarius, Sententiarum quoque, ac Censurarum tam in eadem Romana Curia, quam extra eam latarum, ac literarum Apostolicarum quarumcumque Universalis, ac merus Executor.

Universis, & singulis RR. DD. Abbatibus, Praepositis, Archidiaconis, Scholasticis, Cantoribus, Custodibus, Thesaurariis, Sacristis, Parochialiumque, & Collegiarum Ecclesiarum Rectoribus, seu earundem Plebanis, Viceplebanis, Curatis, & non Curatis, cæterisque Presbyteris, nec non Clericis, & Tabellionibus quibuscumque, illique, vel illis, ad quem, vel ad quos præsentem nostræ literæ pervenerint, seu quomodolibet præsentabuntur, salutem in Domino &c.

§. 1. Noveritis, quod hac infrascriptâ die comparuit coram Nobis Perillustris, & Excellentissimus Dominus Nicolaus Jacobartus Sanctissimi Domini Nostri Papæ, ejusque Reverendæ Cameræ Apostolicæ Generalis Procurator Fiscalis, & exposuit Eminentissimum, & Reverendissimum Dominum Cardinalem Archiepiscopum Januen. die 29. Octobris anni 1712. statim, ut par erat, exequendo ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Apostolica mandata processisse ad declaratoriam excommunicationis Sententiam contra Fratrem Thomam Granellum Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, eumque Ecclesiasticis censuris innodatum à Fide-lium consortio disjunctum, segregatum, & separatum publicis schedulis in sui, ac Cleri Metropolitanæ Ecclesiæ Januen., nec non frequentis Populi præsentia ad valvas ejusdem Ecclesiæ denunciassè, ex quo Summi Pontificis Præcepto, quo illi dudum sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda injunctum fuerat, ut à Civitate Januen. discederet, & ad Conventum Sanctissimæ Annunciationis Civitatis Bononien. dicti Ordinis se conferret, elapso termino sibi ad id præfixo, non paruerat, seu potius parere contempserat.

§. 2. Hanc autem excommunicationis Sententiam, seu denunciationem vigore prædictarum schedularum secutam, exinde Sanctissimum Dominum Nostrem suis literis in forma Brevis editis die 3. Decembris antedicti Anni 1712. prout, legitime, & valide facta declarasse, proindeque eundem Fratrem Thomam Granellum sic denunciatum excommunicatum ab omnibus, & singulis Christi-fidelibus habendum esse, ac uti-talem sub censuram, & penarum Ecclesiasticarum à Sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis contra eos, qui cum Excommunicatis commercium, vel consortium habent inflictarum, & insuper quoad Regulares etiam perpetuæ privationis vocis activæ, & passivæ, ac munerum, & officiorum Regularium per eos obtentorum, perpetuæque pariter inhabilitatis ad illa, & alia similia, vel dissimilia quæcumque in posterum quomodolibet obtinenda ipso jure abque alia declaratione incurrendis pœnis vitari omnino debere ejusdem literis pariter decrevisse, ac declarasse.

§. 3. Prædictis tamen censuris penitus neglectis dictum Fratrem Thomam Granellum, licet merito facinorum suorum justè ab Ecclesiâ pulsus, contemnendo præterea Ecclesiastica vincula per insolentem insultationem in Ecclesiæ opprobrium, & spreto Potestatis Clavium temerè, & sacrilegè à prænotata die 29. Octobris anni 1712. se gessisse, & adhuc se gerere, tamquam non excommunicatum in grave Animæ suæ præjudicium, & Fidelium scandalum, pertinaciter in tantâ contumaciâ perseverando, & excommunicationis sententiam, qua ligatus est, indurato animo sustinendo, alioque pro communicationem ad peccatum inducendo, pluraque ex illis, quæ ab Excommunicatis exerceri non possunt, sacrilegè quoque attentando, rebusque aliis, prout latius ex processu, & actis causæ, ad quæ &c. singula singulis &c. super quibus &c.

§. 4. Quamobrem ad instantiam, & pro parte præfati Domini Procuratoris Fiscalis fuimus instanter, & debitè requisiti, quatenus de opportuno juris remedio providere, & gravatorias literas extra Romanam Curiam, & ad Partes contra prædictum Fratrem Thomam Granellum, & respectivè monitorias, sive inhibitorias de non communicando cum eo pro omnium Christi-fidelium salute, ejusdemque Fratris Granelli exoptata respicientiâ, decernere, & concedere dignemur. Nos igitur Nicolaus Cardinalis Spinula Judex, & Pro-Auditor prædictus, nec non Sententiarum,

Fr. Thomas Granellus ob inobedientiam præcepto Pontificio declaratur Excommunicatus à D. Card. Archiepiscopo Januen.

Excommunicatio ejusdem Fratris Granelli specialiter confirmatur à Summo Pontifice, ejusque commercium prohibetur sub gravibus pœnis.

Idem tamen Fr. Granellus censuris neglectis, pro non Excommunicato per lam temerè se gerere &c. det.

Instantia Procuratoris Fiscalis, ut contra d. Fr. Granellum ad gravatorias monitorias censuram procedatur, ejusque commercium omnibus Christi-fidelibus interdicatur.

ac censurarum, literarumque Apostolicarum universalis; ac merus Executor optime agnoscentes ad ordinariam nostram jurisdictionem pertinere, ut prædicta excommunicationis Sententia ab Eminentissimo, & Reverendissimo Domino Cardinali Archiepiscopo Januensi legitime prolata, Apostolicam etiam auctoritate fulcita, literisque Pontificiis pariter, ut præmittitur, confirmata suam obtineat executionem, dictusque Frater Thomas Granellus Ecclesiasticis poenis correctus, quid Deo humiliato corde, quidque ejus Ecclesie debeatur, tandem agnoscat, omnesque, & singuli Christiani fideles, ut Canonica docet auctoritas, ab illius communione pro eorum Animarum salute se abstineant, petitis literas gravatorias, & monitiones respectivè concedendas, publicandas, & exequendas, prout inferiùs decernitur, fore, & esse duximus, & per præsentem mandamus.

§. 5. Quo circa, ne ipse Frater Thomas de sua contumacia gloriari possit, & valeat, neve adeò scandalosa, & execrabilis pertinacia transeat præsumptoribus in exemplum, sed potiùs poena illius sit aliorum metus, dictam excommunicationis sententiam aggravandam esse duximus, prout juxta S. Matris Ecclesie morem, licet ad graviora remedia in casu, de quo agitur, ob diutinum nimis Excommunicati proterviam procedere debuissimus, illam pro nunc aggravamus, antedictasque censuras aggravatas esse volumus, proindeque pro præsentium nostrarum literarum debita executione vobis omnibus, & singulis supradictis, ad quos, seu quem præsentem nostram litteram pervenerint, seu alias quomodolibet præsentabuntur, expresse mandamus, & districte præcipimus sub poenis arbitrio nostro infligendis in casu inobedientie, quatenus prædictum Fr. Thomam Granellum sic excommunicatum singulis diebus Dominicis, & aliis festis in vestris quisque Ecclesiis, Candelis accensis, & pñsatis Campanis post Divina Officia, vel statim Missa Conventuali, aut privatà respectivè terminatà, publicè, & solemniter excommunicatum, & aggravatum denunciatis, & publicetis, donec aliud à nobis datum vobis fuerit in mandatis, ut sic dictus Frater Thomas pro merito culpæ adeò publici contemptus publicæ quoque confusionis poena plectatur.

§. 6. Interim verò exoptantes, ut omnino idem Frater Thomas Granellus, debita satisfactione præmissa, ad sinum S. Matris Ecclesie poenitens, & contrito corde revertatur, & intento animo considerantes, quanto majorem illi generet insolentie fomitem, & contumaciam delinquendi in pejus enutriet, perniciosum illud communionis solatium, & quam grave Animæ periculum ex eà Communicantibus imminet; Idcirco vobis omnibus, & singulis superius nominatis committimus, & in virtute sanctæ obedientie expresse mandamus, quatenus omnes Christiani fideles sedulo moneatis, prout nos per præsentem sic eos monemus, eisdemque pariter juxta Sacrorum Canonum Instituta inhibeat, prout quoque illis inhibemus, ne de cætero aliquis ipsorum audeat, vel præsumat sub quovis prætextu, & quæsito colore cum dicto Fratre Thoma Granello solemniter excommunicato quodcumque prohibita conversationis genus habere, sed omnino ab illius damnato participio abstinere. Certificantes, & vos prænominati omnes, & singuli certificare quoque curetis cunctos Christiani fideles, quod si quis præsentibus nostris literis, seu veris sacris Canonibus, & Pontificiis sanctionibus temerè contravenire ausus fuerit, sciat se incursum censuras, & poenas omnes Ecclesiasticas quocumque jure contra Communicantes cum Excommunicatis indictas, & præsertim, si Regulares fuerint, etiam perpetuæ privationis vocis activæ, & passivæ, ac

munerum, & officiorum regularium per eos obtentorum, perpetuæque pariter inhabilitatis ad illa, & alia similia, vel dissimilia quæcumque in posterum quomodolibet obtinenda, ut statuitur in memoratis literis in forma Brevis Sanctissimi Domini Nostri Papæ die 3. Decembris anni 1712. editis, & legitime publicatis: Ad quarum quidem censurarum, poenarumque iucursus declarationem, & executionem, ac ad omnia alia necessaria, & opportuna, Nos præmissis de jure præmittendis, sive infra scriptis Perillustris, & Excellentissimus Dominus Noster in Criminalibus Locumtenens Generalis deveniet contra omnes, & singulos de similibus culpabiles repertos, ac de jure punibiles.

§. 7. Demum ne quis de prædictis omnibus, & singulis ignorantiam aliquam allegare unquam possit, & valeat, decernimus, & mandamus præsentem nostram litteram affigi, & publicari ad valvas Curie nostræ Innocentianæ, aciei Campi Floræ, & in aliis locis solitis, & consuecis Urbis, nec non ad majorem cautelam ad confinia Status Ecclesiastici, nempe in Civitatibus Bononiens., & Ferrariens., hasque sic affixas, & publicatas quemlibet ad exactam observantiam ita arctare, ac si cuique personaliter intimata, atque executæ fuissent, In quorum fidem &c. Datum Romæ ex Magnâ Curia Innocentianâ anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi milleesimo septingentesimo decimo sexto. Indictione 8. die verò mensis Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Clementis Divinâ Providentiâ Papæ Undecimi anno decimo sexto.

Dominicus Cæsar Florellus Locumtenens.

Paulus Fatius Cur. Casarum Camera Apostolica Notarius.

Antedictum Monitorium jussu Sanctissimi ob rationes in eo explicatas paratum fuerat anno 1716. sed illius executio suspensa deinde fuit, quoniam Frater Thomas Granellus reversus ad cor, Sanctitati Sæ humiliter supplicavit, ut ex Apostolica clementia ipsum à censuris, in quas ob inobedientiam Pontificio Præcepto inciderat, absolvi facere dignaretur, seque ad debitam obedientiam Pontificio mandatis præstantiam promptum exhibuit. Sua Sanctitas illius precibus benignè annuens, ei primum absolutionem ad tempus cum reincidentia, ac deinde etiam plenariam concessit, injuncta tamen lege, ut loco Conventus Sanctissima Annunciationis Civitatis Bononiens. ipse ad Almam Urbem accedere teneretur. Venit itaque Romam idem Religiosus vir circa initium mensis Junii 1719. & supplici libello sua propria manu subscripro die nona ejusdem mensis, debitam submissionem, ac obedientiam Apostolicis mandatis humiliter professus est, præteritarum culparum veniam à Sanctissimo obsequentissimè postulavit, ac demum petiit, ut R. P. D. Vicegerenti, sive alteri Prasuli ipsum rursus absolventi à censuris: in quas ob præmissam causam inciderat, facultatem tribuere dignaretur. Sua Sanctitas ejusmodi supplicationibus inclinata, per literas Sac. Congregationis Immunitatis Ecclesiasticae datas die decima præfati mensis Junii 1719. peritam facultatem delegavit R. P. D. Vicegerenti, à quo idem Frater Thomas Granellus, prævia obligatione de se à similibus in futurum abstinendo, in forma privata ritè tandem absolutus fuit.

Decernit præsentis Monitorii affixionem, & publicationem in urbe, & in Civitatibus Bonon. Ferrariens. factam omnes arctare perinde ac si unicuique fuisset personaliter intimatum.

A. C. mandat Fr. Granellum solemniter excommunicatum, & aggravatum publicè denunciari.

Et fideles admoneri, ut ejusdem Fr. Granelli consortium evitent sub poenis censurarum, & aliis hic præscriptis.